Tworkowski Eliae: Philanthropismus theologicum
i.e. Conclusiones ex universa Theologia.

PHILANTROPION THEOLOGICUM,
MAGNO HELIADUM CÆTUI,

PER REGNUM POLONIÆ, & MAGN: DUCATUM LITHUANIÆ,

AD COMITIA PROVINCIALIA

CRACOVIÆ in ARENIS Thaumaturgæ VIRGINIS, feliciter Congregato.

Sub aſsiſtentia, & feliciſsimis auſpiciis,

EXIMII & ADMODUM REVERENDI PATRIS,

P. MARTINI CHARZEWICZ,

Sacræ Theologiæ in Alma Vniuerſitate Cracouienſi Doctoris, nec non Studij Formalis Conuentûs Arenenſis, PRÆFECTI MERITISSIMI.

A

P. F. ELIA TWORKOWSKI,

Dum

Pro Lectoratûs Gradu

In florentiſſima Eruditorum Virorum Nobiliſſimorumq́; Hoſpitum Corona, reſponderet.

In vim omnimodæ venerationis & ſubmiſsionis,

DICATUM.

Anno Verbi Incarnati M. DC. LXVII. Menſe Iunio, Die 20. Horis conſuetis.

CRACOVIÆ,
Apud ALBERTUM GORECKI, S. R. M. Typogr.



Flammeus hic Mucro, Diuinis ignibus ardet,
Dextera quem zelans pro pietate vibrat.
Circumstant Gladium radiantia sidera cœli,
CARMELIQUE Sacro Montis in axe nitent.
Mucronem stringit pietas, sapientia, zelus,
Et feruens priscæ Relligionis amor.
Aurea Vos estis CARMELI sidera Patres,
Candidus in Vestris laudibus Ordo micat.

EXIMIIS,

Omniq; Virtutum genere præstantissimis.

ADMODUM REVERENDIS PATRIBUS,

ADMODVM REVERENDO

P. MAGISTRO PRÆSIDENTI, PROVINCIALI, DEFINITORIBVS,

MAGISTRIS, PRIORIBVS, VICARIIS, PROCVRATORIBVS, SOCIIS,

Cæterisqûe totiûs Gremij Prouincialis Reuerendis Patribus Congregatis, Viris Religiosissimis,

PATRIBUS ac PATRONIS OBSERVANDISSIMIS.

F*Lammeum S. Patris* HELIÆ *Mucronem, Vestris in pectoribus*, EXIMII & ADMODUM RR. PATRES *Prouinciæ, ad Comitia Prouincialia, festino gradu aduolantem, Festiuo Sacræ Theologiæ Apparatu*, CARMELUS *Noster Arenensis, excipit ac veneratur. Nec mirum, nec nouum. Symbola namq; in mutuum festinè ruunt amplexum: dicamné etiam ad pretiosa, vel Sacra Philantropia danda? Sacram verò Doctrinam, cum flammeo Mucrone* Vestro, *symbolicé conuenire, quis inficias ibit? Ut enim illa, non alio, quàm cœlesti flamine, quia reuelato, illustris agnoscitur; ita hic igne Diuino, quia illius admirabilis Ignis, qui* Consumēs *est, zelans honorem, flammeus approbatur. Ut illa Hæreseon Hydris inuictam aciem opponit; ita* HELIÆ Vestrumq; *armatum Mucrone* Brachiũ, *Idolis eorumq; impijs cultoribus, minax se se, & formidabile sistit.* Excubias agit illa, *contra insultus blasphemantium Nomen Domini; stat iste aduigilans vibratus ad vindictam*

Iniu-

Iniuriarum Dei. Verbo dicam; Brachium Vestrum, *Mucrone* HELIÆ *stellifero obarmatum, ad custodiam vineæ Domini Sabbaoth, censetur erectum. Sueticum non ita pridem,* ARENÆ DIVÆ VIRGINIS MATRIS, *exhorruere gladium, quia hostilem; at* Vestrum *lata suscipiunt, vt potè ipso non ampliùs dissipandæ, ast Paterno zelo custodiendæ. Ambiuere quondam Lectulum Salomonis sexaginta ex fortissimis, omnes tenentes gladios, & ad Bella doctissimi. Lectulus Pacifici, est vetustissima* CARMELI RELIGIO, *& Lectulus Paruulæ Sororis nostræ, summæ Genitricis Dei, Augustissimæ supernorum & infernorum Dominæ. Lectulus inquam Salomonis, primordialis vitæ pacificæ nidus, Actiuæ & Contemplatiuæ Magistra, iure successionis hæreditariæ, à Prophetis* HELIA *&* ELISEO *continuata, mea & Vestra* RELIGIO. *Lectulum Salomonis impetere velis! sexaginta ex fortissimis ad bella doctissimi, omnes tenentes gladios, vtiq; Helianos, ambiunt illum, vniuscuiusq; ensis super femur suum. Sed quare? propter timores æmulationum nocturnos; nimirum, noctem olim præuidebat, qui in vertice* CARMELI *stellas posuit Deus. Sed tu illuminaberis magis, à Montibus æternis, ò Mons Dei! Mons pinguis,* MONS CARMELI, *dum Incolam tuum, Sanctissimum Patrem tuum, exultabundus semper intueberis Dei zelantem & Religionis gloriam. Gloria hæc etiam vestra tota est,* VENERABILES & ADMODUM REVERENDI PATRES, *si hanc, quàm à Magno Parente Vestro* HELIA, *continuâ successione, hæreditario iure (testante non vno Ecclesiæ supremo Capite) Religionem accepistis, inter stellas & gladios, seruaueritis illæsam. Verùm quis dubitabit non seruaturos? cùm & ipsa Seruatrix* CARMELI MARIA, *Patriarchæ Constantinopolitano,* D. PETRO THOMÆ, RELIGIONEM CARMELITARUM, *in finem vsq; sæculi perseueraturam pronunciauerit. Quis haud dubiè duraturam non asseuerauerit? cùm & ipse Mucro* HELIÆ, *in pectoribus Vestris, ad instar Cherubini, ante paradisum positi, illibatæ, inuiolatæq; conseruationi illius, strenuè ac zelosè, etiam in Comitijs præsentibus, inuigilet. Gladius Vester, &* HELIÆ, *nescit rubiginem, siquidem ille igne cœlesti flammans, consumit eandem; nec patitur vllam inter stellas suas, Religiosæ lucis, maculam. Sicq; (vt faustè ominor) Mucro Vester, ac S. Patris* HELIÆ *stellatus, non in vagina absconditus, sed in pectoribus Vestris zelantissimis erectus (à me* VESTRIS EXIMIIS & A. RR. PATERNITATIBUS *oblatus) & ad suum illæsum nitorem, & ad Religionis Sacræ,* DEO, & MARIÆ *dilectum, perennabit, Decorem.*

Ita exoptat & ominatur,

VV. EXIMIIS & A. RR. PP.

Humillimus in Christo Seruus,

PR. FR. ELIAS TWORKOWSKI.

CONCLVSIONES
EX VNIVERSA
THEOLOGIA.

I.

THEOLOGIA est rigorosè Scientia, partim Speculatiua, partim practica. Obiectum illius Attributionisest Deus, tùm vt existens, tùm vt remunerator. Formale *propter quod*, proximum & adæquatum est reuelatio vnius præmissæ reuelatæ à Deo, & euidentia alterius naturalis, Formale autem *sub quo*, non deducibilitas ex ipsis, sed conducibilitas ad cognitionem Dei. Omnis Conclusio Theologica est supernaturalis, non tamen Fidei.

II.

DEum existere non potest demonstrari à priori, benè à posteriori, non tamen sistendo in communibus principijs, nè ab impiò & subtili Atheo eludantur. Illum quoque esse vnicum ratione naturali est demonstrabile, non tamen ex his præcisè principijs: Deus est ens per essentiam: Plures Dij nec numero, nec specie, possunt esse distincti: Inter plures deberet esse voluntatum pugna; quæ similiter ab impijs eludi possunt.

III.

IN nullo homine, quantùmuis rudis & hebetis ingenij, si ratione vtatur, potest dari vnius Dei existentis ignorantia positiua inculpabilis; secùs negatiua, si sit suis viribus relictus. Summæ Dei simplicitati obest quælibet ante intellectum actualis compositio, non tamen rationis, ac proinde distinctio in Diuinis nec formalis ex natura rei, nec Obiectiua intrinseca, nec realis in tertio, adstrui debet; sufficit enim sola distinctio rationis formalis.

IV.

DEus in omni genere entis, & infinitè perfectissimus; ita est Immutabilis, vt immutabilitas, nulli Creaturæ competere possit: Duratione verò Æternus, & loco Immensus, sic est simpliciter, (& consequenter in temporibus & spatijs imaginarijs tanquàm in seipso) vt tamen æternitas, non ita sit propria Deo, vt creaturæ communicari non possit.

V.

VIsio intuitiua Dei est intrinsecè supernaturalis, ad quam species vel impressa, vel expressa creata, non est necessaria. Hæc formalis Beatifica, consistit in Dei Increata visione, vt tali intellectui creato vnita, quidquid communius in operatione intellectûs constituatur; de fide tamen est, Lumen gloriæ ad videndum Deum esse necessarium, quod ab ipsa visione Increata, sub munere eleuantis, non distinguitur.

VI.

Oculus quâ corporeus, siue visione simili, quam de facto experimur, etiam de potentia Dei absoluta, videre Deum non potest; visione nihilominus spirituali; etiam Increatâ, sibi supernaturalitèr Unitâ; oculo à se in virtutem mentis quodammodò obedientialitèr conuerso non videtur repugnare: sicut neq; creatura possibilis, cui visio Beatifica creata, & Lumen gloriæ creatum (si hæc gratis dentur) & Vnio ad Visionem Increatam, sint connaturalia.

VII.

Claram Visionem Dei vltra Christum Dominum, non solùm Sanctissimæ Virgini Matri, verùm etiam alijs Sanctis in hac vita fuisse communicatam, ad breue tempus, est conformiùs Sacræ Scripturæ, & menti Sanctorum Patrum. Beatifica tamen visio Increata (vel etiam creata, si detur) inter Attributa & Essentiam, Personalitates & Essentiam, non est præcisiua obiectiuè, sed formaliter, Increata videlicet ex parte vnionis ad intellectum creatum.

VIII.

Stante quod visio Beatifica, sit increata Dei visio creaturæ communicata, intellectus perfectior cum æquali Lumine gloriæ, Deum non videbit perfectiùs, quàm intellectus imperfectior: secùs verò suppositâ eâdem visione creatâ. Visionum inæqualitas moraliter oritur, ex meritorum, aut Sacramentorum vsu, pro paruulis inæqualitate: formalitèr verò ex inæquali vnione, ad quam simul cum intellectu Lumen gloriæ concurrit, meritis proportionata.

IX.

Beati in patria, tàm ex parte actûs, quàm obiecti, Diuinam Essentiã, & tres Personas, omnia Attributa, & perfectiones Deo intrinsecas de facto clarè & distinctè vident: Omnipotentiam quidem & Omniscientiam non ita contemplantur; vt illam clarè & distinctè in ordine ad omnes terminos suos, in particulari eos penetrando, & inter se distinguendo, explicare possint.

X.

Creaturæ formalitèr videri possunt tàm vt existentes, quàm vt possibiles in Verbo siue Essentia Diuina, vt obiectiuè suâ visione; licet hæc transcendentalem relationem quoad se & intrinsecam ad creaturas non dicat. Valdè probabile est, Beatos ea omnia Verbo videre, quæ in via per fidem infusam crediderunt; vno die vltimi Iudicij excepto.

XI.

De fide est dari in Deo scientiam & suiipsius, & aliorum à Deo distinctorum. Seipsum Deus intuitiuè in seipso cognoscit, abstractiuè verò in nostra de seipso cognitione creatâ, minimè tamen in dependentia creaturarum ab ipso. Hæc alia dicitur simplicis Intelligentiæ, in qua Deus vt essentialiter verâ & infallibili immediatè, ac etiam in seipsis immediatè cognoscit possibilia: non tamen in sua Omnipotentia & Amore. Alia Visionis, quæ versatur circa res vt existentes.

XII.

XII.

Deus quoque cognoscit Negationes & Priuationes in sua scientia & seipsis immediatè, minimè tamen in illis, quorum sunt priuationes, non solùm per dissensum dicendo v. g. *tenebræ non sunt lux* : sed etiam per assensum dicendo v. g. *tenebræ sunt priuatio lucis*; semper tamen formis, quarum sunt priuationes concomitanter cognitis. Sola scientia visionis est causa proxima rerum, non quidem præcisè & secundùm se, verùm secundùm quòd adiunctam habet voluntatem Diuinam.

XIII.

Futura secundùm durationem suam infinitam communem & sibi impropriam sunt præsentia Dei æternitati, (& hoc sensu ab æterno) non solùm præsentiâ intentionali obiectiuâ, sed etiam reali physicâ. Hæc libera, siue contingentia absolutè futura, certò & infallibiliter Deum cognoscere, antequàm fiant, (Ly *antequam* sumendo, quatenùs non excludit illorum existentiæ simultatem ab æterno secundùm quid, seu sumpto instanti, in quo demùm esse incipiunt, quatenùs Dei æternitatem respicit) fide Diuinâ certum est. Non datur scientia media strictè sumpta de obiecto futuro contingenti conditionato, sed latè tantùm.

XIV.

In Deo datur voluntas vt potentia, à Volitione Dei ad extra ratione nostrâ distincta, per quam seipsum & nos, (si iusti sumus) propriè & strictè amat Deus: Amore simplicis complacentiæ ita necessariò amat, nedùm possibiles, sed etiam omnes creaturas bonas existentes; & odio simplicis displicentiæ odit creaturas malas, vt antecedenter maneat liberrimus, quo ad exercitium. Hæc voluntas Dei, in actu secundo, eaque contingenter libera est causa rerum.

XV.

Volitio Dei quâ contingenter libera, vt opponitur necessariæ, non est præcisè & adæquatè actus Diuinæ voluntatis necessarius, sed præter illum, imbibit aliquid creatum quod non potest esse quicunq; omnipotentiæ Diuinæ effectus, sed actus voluntatis contingenter liber esse debet, ad Diuinitatem se habens, prout vnio hypostatica ad Verbi Personalitatem: Huiusmodi volitionis Dei dari potest causa finalis, non tantùm ex parte Dei, sed etiam ex parte creaturarum.

XVI.

Licet in Deo sit propriè erga creaturas Misericordia quoad effectum, eaque etiam erga ipsos damnatos, non est tamen ad nos Dei, hoc sensu rigorosâ Iustitia, quòd ipse ex debito iuris nostri, aduersùs ipsum rigorosi, & in solidum, teneatur facere, & semper faciat nobis, quod hîc & nunc nobis retribuit; verùm hoc sensu, quòd ex debito fidelitatis sibi intrinsecæ, teneatur facere, quod nobis ex intrinseca sua bonitate liberaliter promisit. Datur etiam in Deo omnium rerum Prouidentia.

XVII.

Prædestinatio (quæ ex parte intellectûs formaliter consistit in præscientia visionis, ex parte voluntatis in volitione Gratiæ efficacis)

adultorum quâ contingens, est ex præuisis meritis gratuitæ omninò Gratiæ efficacis voluntatem nostram ad perseuerandum successiuè determinantis, non verò Gratiæ sufficientis. Reprobatio autem positiua, & positiuè negatiua facta est, post, & ex absolutè præuiso mortali peccato finali, vel originali solo puerorum in illo morientium, vel actuali solo baptizatorum adultorum, vel actuali & originali simul infidelium in illis decedentium.

XVIII.

PRocessiones in Diuinis sunt duæ, Filij & Spiritus S. Prima consistit in generatione actiua & passiua identificis indiuisibilitèr: Secunda in spiratione actiua & passiua etiam identificis indiuisibilitèr. Verbum procedit ex omnium intuitiua Dei Patris cognitione, ac proinde Essentiæ Attributorũ Personalitatum & Entiũ possibiliũ. Spiritus S. procedens à Patre & Filio, adhuc realiter distingueretur à Filio, licet realiter non procederet ab illo.

XIX.

PErsonæ Diuinæ absolutè loquendo æquè primò & immediatè constituuntur Relationibus, Originibus & Personalitatibus: ex parte tamen nostri modi concipiendi melius dicuntur constitui Relationibus; quàm Originibus; Relationes Diuinæ etiam secundùm *esse Ad*, sunt perfectiones Relatiuæ.

XX.

FIde Diuina constat dari Angelos, quod nullâ solidâ & conuincenti ratione suaderi potest; sunt omninò simplices, & naturalitèr incorruptibiles, non tamen absolutè. Attentâ authoritate, possunt naturalitèr esse in loco minori suo maximo naturali, & ex hoc etiam in pluribus locis distantibus inadæquatis, simul, intra suam sphœram contentis, absque eò quòd existant in medio; quod idem dicendum de motu illorum. Non egent speciebus impressis ad intelligendum à se & obiecto realiter distinctis; proinde nulla in illis existentibus datur varietas in vniuersalitate specierum de obiectis, quæ naturalitèr cognoscunt.

XXI.

ANgeli tam contra legem naturæ, quàm positiuam supernaturalem mortaliter & venialiter peccare possunt, vti de facto Malorum, primum peccatum fuit superbia, ex motiuo tùm affectationis vnionis Hypostaticæ ad Naturam Diuinam, tùm desiderij æqualitatis cum Deo. Potuerunt agere pœnitentiam de suo peccato, toto tempore, quo post illud in via fuerunt, & illâ omissâ torquentur ab igne corporeo, per qualitatem solo numero distinctam ab illa, quâ anima nostra corpori vnita torquetur & dolet, dum illud cruciatur.

XXII.

BEatitudo nostra formalis *vt quo* consistit in vnione animæ nostræ ad Dei actus Visionis & Amoris increatos, eam honestissimè recreantes: *vt quod* in actibus illis. Beati non sunt physicè impeccabiles per formam creatam intrinsecam, sed solùm per extrinsecam, specialem sc: Prouidentiam Dei. Possunt physicè cessare ab amore Dei creato, siue remanente, siue non remanente Dei amore increato sibi coniuncto, secus moraliter.

XXIII.

XXIII.

VOluntarium est, quod dependet à principio hîc & nunc agente per modum voluntatis; Indirectè & interpretatiuè sumptum dari potest absque omni actu positiuo voluntatis. Effectus positiuus etiam per accidens ex omissione secutus, est moraliter voluntarius independenter ab obligatione, & omittentis debito ad oppositum: licet physicè non sit talis. Dantur aliqui actus humani in indiuiduo neque boni, neque mali, sed indifferentes.

XXIV.

ACtuum humanorum moralitas respectiua originalitèr & vltimatè sumitur à consonantia vel dissonantia obiecti cum lege Dei, aut eiusdem consilijs, Eorundem verò vna ab alia ad legem Dei æternam dissonantia (& idem est de consonantia) quo ad nos originaliter & vltimatè morali specie diuersificatur, à communi prudentum sensu & apprehensione. Actus externus nihil addit bonitatis aut malitiæ actui interno.

XXV.

PEccatum benè definitur, Dictum, factum, vel concupitum contra legem æternam. Malitia formalis peccati siue commissionis siue omissionis formaliter consistit in priuatione actus quâ præcepti. Habituale est priuatio actûs quâ præcepti ad retractationem obligatoria perseuerans in se physicè, & moraliter ratione voluntatis in causa. Originale fuit etiam de facto in paruulis voluntarium in voluntate Adami. Ab illo Beatissima Virgo ita fuit immunis, vt nec vllum debitum etiam remotum contrahendi illud habuerit, magis quàm Angeli.

XXVI.

DOna Adamo in statu naturæ integræ concessa, siue ad vitam supernaturalem ordinata, siue purè naturalia non fuerunt illi debita ratione intrinsecæ eorum in Adæ natura exigentiæ, ac proinde Adam absque Gratia sanctificante, virtute subijciente appetitum sensitiuum Rationi, siue immunitate à morte corporea, & à cæteris malis corporeis, quibus post peccatum affligimur, innocens creari potuit.

XXVII.

GRatia Christi rectè diuiditur (omissis alijs diuisionibus in Operantem & Cooperantem, Præuenientem & Concomitantem) in Sufficientem & Efficacem. Ad quamcunque cognitionem cuiuslibet veritatis prout oportet ad Iustificationem, requiritur Gratia supernaturalis ordinis: Possunt sine illa actus aliqui saltem faciles & paruæ durationis virtutum moralium naturalium elici; nec non omnes tentationes graues distributiuè vel collectiuè physicè; moraliter verò nè vel vna grauis superari.

XXVIII.

GRatia habitualis seu forma Iustificans est homini intrinsecè inhærens. Contritio perfecta (& idem est de Amore Dei super omnia) est vltima dispositio ad formam sanctificantem, non verò forma sancti-

 ficans.

ficans. Remissio peccati mortalis personalis, quâ parte est priuatio omissionis vel actûs, quâ præcipiuntur, moraliter existens vel perseuerans, sine actu pœnitentis, & quâ parte est priuatio Gratiæ, tanquàm termini exigentiæ istiusmodi priuationis omissionis vel actûs, sine infusione gratiæ & donorum, etiam de potentia Dei absoluta fieri non potest.

XXIX.

MEritum aliud est de Condigno, aliud de Congruo. Non datur Meritum in spe. Ad meritum requiritur actus honestus supernaturalis, non tamen vt procedat à Charitate, siue ex motiuo charitatis, sic, vt alioqui sit propriè peccatum. In merente de Condigno requiritur status sanctitatis & charitatis habitualis. Maior gratia dignificans auget meritum ad maiorem condignitatem, non verò ad maiores partes præmij aut gradûs.

XXX.

GRatiæ efficacia non consistit in prædeterminatione physica aut præmotione rigorosa. Neque in Liberi arbitrij coöperatione ad victricem delectationem, eo sensu determinantem, quo voluntatem prædeterminat physica prædeterminatio. Neque præcisè in Liberi arbitrij coöperatione ad eam. Neque in scientia strictè media, quâ Deus præuidit conditionaliter consensum vel dissensum.

XXXI.

GRatia Efficax, tot sunt gratiæ sufficientes, & toties multiplicatæ, donec Deo sic decernente sequatur effectus: Aut tot & tales gratiæ, quibus Deus præuenit voluntatem pro aliquo priori temporis, vt si in illo priori non respondeat, in posteriori constituta, in primo puncto suæ flexibilitatis, per resistentias præteritas acquisitæ infallibiliter eis respondeat.

XXXII.

EFficacia gratiæ etiam consistit in qualitate vnica, ita flexibilitati voluntatis humanæ accommodata, vt vno indeterminato plurium, vel saltem duorum instantium, ita antecedenter determinet voluntatem, vt hæc è contra pro sua vi electiua, & cum illa qualitate, innatâ sibi proportione, se ad ei coöperandum determinet pro vtrouis instanti.

XXXIII.

FIdei Diuinæ Materiale obiectum est omne reuelatum; Formale authoritas Dei exteriùs reuelantis, fundata in infinita eius scientia & veracitate. Reuelatio Dei immediata & expressa est iudiciũ Dei increatum illis, quibus fit, supernaturaliter vnitũ. Impossibile est Deum mentiri, tam materialiter, quàm formaliter, siue per se, siue per alium; & infundere habitũ ad errorem inclinantem per se vitiosum, per modum Causæ particularis.

XXXIV.

ACtus Fidei Diuinæ supernaturalis non potest esse falsus, probabile est, illum connaturaliter posse consistere cum cognitione euidenti reuelationis, aut obiecti reuelati, sub diuersis medijs, imò & cum visio-

visione Beatifica, abstrahendo à ratione statûs & scholasticorum authoritate. Romanus Pontifex iure Diuino Petri successor, non potest errare in decretis Fidei & morum. Neque in Canonizatione, Beatificatione Sanctorum, aut Religionis approbatione.

XXXV.

SPei Theologicæ Obiectum formale immediatum, strictè & intrinsecum rei speratæ, est Deus ipse, quâ nobis conueniens & bonus; siue bonitas intrinseca Beatitudinis obiectiuæ & formalis, vt conuenientis & bonæ homini, cui speratur. In Beatis non manet spes actualis, quoad obiectum suum principale, siue beatitudinem, habitus tamen manet in illis, in quibus fuit in via, non solùm ante resurrectionem corporum, vt diem & horam gloriæ corporum sperent (dato quod illam ignorent;) sed etiam post illam, vt sperent augmentum suæ gloriæ accidentalis, & proximorum beatitudinem.

XXXVI.

CHaritas habitualis viæ est aliquid creatum animæ inhærens, Beatifica verò Patriæ increatum. Intensiorem elicere erga Deum, quàm creaturam est consilij non præcepti. Suam quisque salutem præ aliorum amare debet. Nec licet quoque homini naufragio, aut fame alioquì perituro, quantùmuis amico, vel parenti, porrigere panem, aut tabulam seu nauigium, sine quo alioqui periturus esset: nisi ratio communis boni aliud postulet.

XXXVII.

IUs est *iustum alteri debitum per æqualitatem seruandum*. Iustitia verò, *constans ac perpetua voluntas, ius suum cuiq; tribuendi*. Alia est Distributiua, alia Commutatiua. Legalis dicitur, si erit voluntas illa, seruandi bonum commune, quâ tale. Vindicatiua reducitur ad vtramlibet. Dominium est *ius disponendi de re aliqua corporali tanquam sibi subiecta*, & diuiditur in Dominium Iurisdictionis & Dominium Proprietatis.

XXXVIII.

REligiosi solemnia vota professi (exceptis Minoribus de obseruantia & Capucinis) habent in communi & immobilium quibus vtuntur dominium; non in particulari. Secùs Clerici non Religiosi, qui sunt Domini suorum *Patrimonialium*, & *quasi patrimonialium*. Vsura ita est prohibita, vt hæresim incurrat, qui illam negat esse peccatum mortale. Montes pietatis sunt liciti de fide.

XXXIX.

LEx Ecclesiastica vt legum naturalium, & Diuinarum positiuarum interpretatrix & determinatrix, ad actus internos obligare potest, non vt rectrix politiæ Ecclesiasticæ. Similiter & lex Ciuilis etsi non obligat ad ponendos vel omittendos actus internos, vt rectrix politiæ Ciuilis, obligat tamen vt mera interpretatrix & determinatrix obligationis legum naturalium.

XL.

XL.

RAtionabilis consuetudo potest habere vim legis, ita scilicet vt omnia membra Communitatis, non minùs per illam, quàm per legem scriptam obligentur. Priuilegium est lex priuata constantem fauorem Contra vel præter ius concedens, omni homini ab omni legitimam potestatem habente concedi potest. Cessat per se transacto tempore, conditione, statu, vel sine adæquato, pro quo limitate conceditur.

XLI.

SUpposito Fidei lumine tàm viâ inuentionis quàm Confirmationis, iam cognitæ Incarnationis existentis, naturalitèr probabilitèr indirectè & abstractiuè à creatura existente, potest non solùm negatiuè, sed etiam positiuè cognosci & probari Incarnationem Verbi esse possibilem. Nec erat physicè, nec moraliter, etiam post hominis lapsum & à Deo decretam eius reparationem absolutè necessaria. Purus homo, sub præsenti Dei prouidentia non potuit condignè satisfacere pro peccato mortali, considerato vt sub cognitione vltimi finis, & deformitate eius ad rectam rationem, & legem Dei æternam: potuit tamen sub alia, & decretis alijs, eâ ratione, quâ in Adamo peccauit, in Deo præcisè absque carnis vel animæ assumptione, satisfacere pro mortali peccato condignè, condignitate, quæ operibus Christi conuenit.

XLII.

CRistus pro hominum peccatis, non solùm satisfecit condignè latè, sed etiam superabundantèr, non tamen condignè, strictè, siue sub prærequisitis conditionibus ad satisfactionem condignam strictam, nec ex rigore iustitiæ. Ex Decreti præsentis Incarnationis Verbi motiuis vnum fuit, vt genus humanum, quod Deus simplicis intelligentiæ scientiâ præuidebat peccabile, & per se ex concupiscentia innata ad peccatum propensum, haberet Redemptorem pro casu creationis & peccati: non verò vt genus humanum, quod Deus scientiâ visionis præuidebat absolutè peccaturum, talem redemptorem haberet. Unde etiamsi homo non peccasset, adhuc Verbum Incarnatum fuisset vi præsentis Decreti. Plures Personæ simul possunt vnam numero naturam creatam assumere, vna quoque & eadem Persona plures naturas humanas.

XLIII.

QVælibet natura substantialis creata fuit à Deo assumptibilis in vnitatem suppositi: imò & quælibet pars eius essentialis, tam separata quam in toto alteri coniuncta. CHRISTUS secundùm animam fuit Sanctus *vt quo* per vnionem hypostaticam, & *vt quod* per sanctitatem increatam, præcisâ gratiâ Habituali. In Christo tamen fuit Gratia habitualis, eaque entitatiuè actu in intensione infinita. Omnes Christi cognitiones & volitiones liberæ, imò & quæuis condistinctæ à visione & amore Dei beatificis eiusdem, fuerunt creatæ: Beatificæ verò Increatæ. Anima Christi in Deo vidit clarè & intuitiuè omnia possibilia; non tamen prout ipse Deus: & hoc sensu non comprehendit Diuinam Essentiam. Christus etiam secundùm Humanitatem nequit dici filius adoptiuus, neque seruus.

XLIV.

XLIV.

SAcramentum in genere, *est rei sacræ & occultæ homines formaliter sacrantis in ipso vsu, vel sui susceptione, signum sensibile, sacrum, practicum, & à Deo institutum, pro tota, & toto tempore quo durat Ecclesia.* In statu innocentiæ nulla fuerunt iustificantia Sacramenta in lege naturali valdè probabile est fuisse aliqua: In Veteri autem, inter Doctores receptum est, Circumcisionem fuisse iustificans Sacramentum: In Noua denique lege septem sunt Sacramenta, ex se gratiæ sanctificantis efficacia. Omnia quidem perficiuntur rebus, verbis, & intentione Ministri, sic, vt si vnum eorum desit, non perficiatur Sacramentum, non tamen omnibus istis intrinsecè constant.

XLV.

NOuæ Legis Sacramenta, ratione sui præcisè & immediatè, ac proinde ex opere operato, vbi non est obex, gratiam sanctificantem conferunt instrumentaliter, Deus principaliter; probabilius est quod causent gratiam, non solùm moraliter, sed & physicè, in subiecto ritè disposito, dum physicè existunt. Idem specie Sacramentum æqualem semper habet ex opere operato effectum, siue æqualem semper gratiam confert ijs, in quibus est dispositionis æqualitas; in alijs autem inæqualem. Ad valorem Sacramenti non requiritur Ministri sanctitas. Intentio verò, *velle facere quod facit Ecclesia,* non solùm quoad externa materialia sacramenti, sed quoad esse sacramenti, quod absolutè intendit Ecclesia requiritur.

XLVI.

BAptismus fuit ante Christi passionem institutus, non tamen quando Christus à Ioanne baptizatus est, licet tunc aquas Iordanis, & in eis cæteras, in ordine ad baptizandum, & spiritualiter regenerandum sanctificârit. Est necessarius tam necessitate medij, (extra Martyrij casum, infantibus, extra perfectæ contritionis aut martyrij casum adultis, vbi lex Christi sufficienter promulgata fuit:) quàm præcepti: Diuinum baptismi præceptum adultos obligat ad baptismum recipiendum, quàm primùm commodè possunt, sub mortalis peccati obligatione. Nullum est præceptum Confirmationis Sacramentum suscipiendi, ac proinde non peccat mortaliter, imò nec venialiter, qui hoc Sacramentum, secluso contemptu, & Ordinis sacramento omittit.

XLVII.

EVchariſtiæ Sacramentum consistit in re permanente; siue antecedenter ad illius sumptionem & vsum, est verè Sacramentum. Panis & Vinum quoad substantiam non sunt huic Sacramento intrinseca, nec species Sacramentales intrinsecæ, sed solum Corpus & Sanguis Christi; sic vt Eucharistia in recto sit *Corpus & Sanguis Christi sub speciebus consecratis*. Panis & Vini in Corpus & Sanguinem Christi conuersio, siue transsubstantiatio, est corporis & sanguinis Christi substantialis reproductio, quæ simul est vnitio physicâ effectiua illorum cum speciebus per modum contenti substantialis sub illis. Motis speciebus in Eucharistia, Christus ad specierum motum mouetur, à mouente species, non verò à

solo Deo, idque physicè: licet ad specierum localem motum non semper moueatur.

XLVIII.

PÆnitentia accipitur dupliciter: Pœnitentia virtus, & Pœnitentia Sacramentum. Pœnitentia virtus est *habitus inclinans ad odium, & dolorem seu pœnam tenendam de proprio peccato:* Si est actualis, vel est Contritio perfecta, *& est dolor & detestatio peccati propter Deum summè dilectum:* vel Imperfecta, *& est dolor & detestatio peccati ex motiuo supernaturali infra motiuum amoris.* Contritio perfecta semper & infallibiliter extra sacramentum iustificat contritum peccatorem: hoc ipsum facit & amor Dei super omnia etiam sine expresso dolore peccati commissi; Attritio verò, etiam in casu defectûs Confessarij; non est ad iustificandum sufficiens. Amor Dei, qui per se aut cum dolore expresso, impium extra Sacramentum iustificat, debet esse super omnia appretiatiuè, siue talis, quo affectiuè præfertur Dei bonitas omni creatæ bonitati, ita vt vi amoris illius homo sit paratus, quoduis aliud bonum deserere, potiùs quàm per mortale peccatum Deum amittere, non requiritur intensiuè summus. Duratio eius minima sufficit.

XLIX.

PRæceptum Pœnitentiæ non obligat, quamprimùm peccator conteri potest, sed quamprimùm datam Pœnitentiæ Sacramenti commodam occasionem negligit. Etiam de Potentia Dei absoluta est simpliciter necessaria, ad talis peccati, scilicet mortalis, secundùm essentiam spectati remissionem, secùs secũdùm exigentiæ suæ terminum, siue secundum gratiæ priuationem. Nullum est peccatum præter finale, quod per pœnitentiam perfectam tolli non possit. Probabiliùs etiam est,(præscindendo à Doctorum authoritate, qui ferè omnes oppositum vnanimiter docent) Venialia post hanc vitam nunquam remitti, id est, à mortali in hac vita nunquàm separari, sic nempè, vt quis decedat cum solo veniali; & non hoc ipso in mortali moriatur, quòd neglexerit actum Contritionis sub motiuo cum omni peccato veniali pugnante.

L.

PÆnitentiæ Sacramentum est reipsa & formaliter à Baptismi Sacramento distinctum. Quodlibet peccatum mortale post Baptismum commissum. censetur esse Materia remota necessaria Sacramenti huius; Venialia autem sufficiens tantùm; non ita Originale: proxima verò actus pœnitentis, Contritio scilicet & Confessio. Suppositâ confessione pœnitentis debitâ, sola hæc verba Confessarij, *te absoluo* sunt de Essentiâ formæ huius Sacramenti, quorum sensus est hic *tollo* siue *remitto* peccata tua, prout sunt tollenda: primùm quidem si primùm Ecclesiæ clauibus subijciantur, & ante remissa non sint per Contritionem perfectam: Secundò verò, & iterùm, prout iterùm detestata & confessa absolutioni obijciuntur. Nullo casu potest dari Sacramentum Pœnitentiæ informe, sed validum defectu doloris ad effectum, siue Gratiam Sacramentalem sufficientis. Ad M. D. G. I.V.H.